

Mathematicis lōgè aliter euenit. Nemo enim ei sciētiae uehemētiùs studuit, qn̄ aliquid præcipuū effecerit: atq; id multis de causis. Prima, quòd ad quæstū eæ disciplinæ omniū minimè sunt cōparatæ. Altera, quòd non, ut in cæteris artiū generibus, quāto plura tradūtur, tātō pauciora concipiūtur & continētur. Habēt enim hęc sciētiae cōmendationē quandā memorię, cū collocationis serie coniunctam. Tertia, quòd iā inde ab initio suā ueritatis fidē, ac deinceps uniuersam, perpetuā atq; immutabilē dispositionē sint consecutę: ut facile sit cuiq; postq̄ antiquorū demōstrationes perspexerit, nouas inuenire: sicut est ea tractatio infinita & æterna, q̄ nunquā sua magnitudine possit laborare. Adderē causam illā apud multos probabilē, quòd quū cęteræ artes certis exercitacionis finibus cōclusę & cōprehensę uideant, ultra quos nos euadere posse desperamus, in ijs omne studiū ad imitandum cōuertere cogimur: propterea quòd noua inueniendi & excogitandi argumēta nobis à ueteribus præcepta esse putamus. Sed id m̄lo in aliorū iudicio relinquere, q̄ definitò quicquā pronūciare de re quæ longā alioqui habet disquisitionē. Ad Geometrię institutū uenio, in quo studio Archimedes ueterū inuenta multis accessionibus locupletauit: sicut ipsius elucubrationes testantur, raræ, singulares, subtiles. Inter quas nulla excellentior ab ipso relicta est, quàm quæ de Circuli dimensione ad nos peruenit. Quæ quātos usus habeat, & quāmlatè pateat, tota ferè de interuallis motuū cœlestiū doctrina declarat. In hoc argumēto Archimedem, uno quod desiderabatur, Theoremate, quodq; Geometriæ studiosis plenā probationis fidē remorabañt, illustrauimus: ipsius uerò Theoremata planiùs quàm ante nos quisquā, explicauimus: & Circulū ipsum ad quadrū duci posse, præter multorū opinionē, ostēdimus. Nihil enim tam studiose agimus, quàm ut in ea quæ eruditis hominibus uidetur impendēre solitudine, liberalium occupationum materiam administremus.

I A C O